Dignum est, ut ea que pro utilitate ecclesiarum provide statuuntur, scripto sic teneantur, ne fluente tempore fluant et statuta. Pateat
igitur tam presentibus quam futuris, quod dominus Burchardus maioris ecclesie Curiensis prepositus, consentiente capitulo, ius patronatus ecclesie de Plu-
rins in manus venerabilis domini Volkardi dei gratia Curiensis episcopi contradidit. Qui tenuitatem prepositure benigne respiciens, eandem
ecclesiam cum suis pertinentiis, approbante capitulo, insolubiliter annexuit prepositure, maturato decernens consilio, ut quicumque
canonicorum Curiensium electione canonica mediante ab episcopo vel eius successoribus de dicta prepositura investiatur, ipso iure sit investitus de eccle-
sia memorata, salvo tamen in omnibus iure episcopali. Adiciens, quod in anniversario depositionis ipsius domini episcopi de proventibus eiusdem ecclesie
quinque solidi mercedis fratribus tunc presentibus ministrentur. Ut autem hec rata semper permaneant et inconvulsa, presens scriptum sigil-
lis venerabilis predicti domini episcopi, capituli et eiusdem prepositi placuit roborari. Testes: Hainricus decanus, Hyman cantor, Ul.
et Swiderus de Iuvalt, H. de Sax, Hainricus de Mel., Walther et Iac. Boemi et Eberhardus scriba, canonici Curienses; Eberhardus capella-
nus domini episcopi, Ul. de Lugni., Fridericus scolasticus, Johannes plebanus de Tuwirs et alii quam plures. Acta sunt hec Curie in ecclesia maiori.
Anno millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, X. kalendas decembris, sexta indictione.

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz

de ~~Curia~~ i Bludesch 1247

Jurispatronatus ecclie in Bludenz
donat capitulo Epus qui
mox illam incorporat
prebendis

R

pro capitulo [illegible] de [illegible]

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz